



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Gertrvdis V. 17. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

locum, ubi dicebat, scipione suo cum signasset, amplū terræ hiatus aperuit, iussitq; non fictis vocibus inferos ipsos concionari. Tunc verò inferos esse inferis creditum est, locusque is Purgatorium PATRITII appellatus, qui cum omnem eam gentem in libertatem filiorum DEI afferuisset, annos natos CXXII, ex corpore, alterā servitute, abiit. Pilei loco Superi coronam donarunt. *Ex Lippeloo & Pet. de Natal.*

S. GERTRVDIS V. 17. Martii.

GERTRVDEM quoque ob sanguinem, quem nobilissimum inter Gallos habebat, sanctè superbam vidisses. Quare cum eam juvenis (è principe & ipse familiā) sponsam sibi à parente Pipino peteret, ipsumque adeo Regem Dagobertum, qui tum fortè epulo hospes aderat, oratorem haberet, contempsit tamen mortalem sponsum GERTRVDIS, & iurejurando palam firmavit, non nisi immortalī nupturam se, nec aliam dotem præter cælum admissuram. In has deinde leges à morte Pipini Virginem D. Amandus Christo despondit. Mox cæli prodigia castissimā sponsam honorarunt. Nam precantem ignea & è cælo delapsa sphaera visa est coronare, & ejus ope servati nautæ à mortis periculo, quod immanis cetus jam jam minabatur. Sed vel nomen  
GER.

GERTRVDIS pro scuto fuit, merfitq;  
subitò, quod navim jam mergere vide-  
batur, monstrum. Iam diem ultimum,  
quem quidem ut nuptialē GERTRV-  
DIS amavit, monachus illi prædixit.  
Vltanus, comneatum è cælo D. Patri-  
tium, & beatos Angelos spondit.  
Virtutis odorem etiam à morte tum-  
ba, quam longè antè fieri ipsa manda-  
verat, suavissimum spiravit. Ipsa, ne vi-  
vere etiam mortuam dubitares, diver-  
sorum oculis se objecit cælesti luce cir-  
cumfusa. Visa etiam ignes grassantes à  
monasterio illo velo avertere, quo im-  
puras olim flammæ suffocaverat. Tam  
facilè etiam indomitum Vulcanum est  
vincere illi, qui Venerem vicit. *Ex Sur.*

S. EDVARDVS M. 18. Martii.

SVstulerat Edgarus Angliæ Rex bi-  
suos filios: ex Elfedâ, lectissimâ ma-  
tronâ, EDVARDVM nostrum: ex El-  
fridâ improbissimâ muliere, Ethelredû.  
Illi utpote natu majori regnum Edga-  
rus, & quæ major regno hereditas est,  
virtutem reliquit. Non hanc, sed illud  
invidit noverca improba, & quò pur-  
puram Ethelredo suo pingeret, sangui-  
nem statuit EDVARDI fundere, quin  
si fieri aliter jam non posset, cum dia-  
demate caput auferre. Commodum  
impiis consiliis accidit, ut quarto regni  
sui anno illuc venaretur EDVARDVS,

L ubi